




3/2005

IDIBVS IVLIIS

MMV



RVMOR VARIVS



TOMVS 27

FASC. 154

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in ædibus, quibus nomen EDITIONS ECLECTICA est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CC

Pretium subnotationis (annuum):

| | | |
|-------------------|-----|------|
| In Helvetia | CHF | 30.- |
| In ceteris terris | EUR | 25.- |

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Estelle (Stella) Gitta
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam: RVMOR VARIVS,

C/o EDITIONS ECLECTICA Estelle Gitta
Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex
E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Institutum pecuniarium:

BCG, Genève
Estelle Gitta, Societas Latina Helvetica,
Z 3281.88.11

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS ECLECTICA herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS ECLECTICA

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 200

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

| | | |
|------------------|-----|------|
| Schweiz/Suisse | CHF | 30.- |
| Ausland/Etranger | EUR | 25.- |

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Estelle Gitta
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa: Ulrich Aeschlimann

Grafik und Layout/graphisme et layout:
Estelle Gitta

Druck/impression: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition
RVMOR VARIVS,
c/o EDITIONS ECLECTICA, Estelle Gitta
Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex
E-mail: e.gitta@bluewin.ch
www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Bankverbindung/institut bancaire:

BCG, Genève
Estelle Gitta, Societas Latina Helvetica,
Z 3281.88.11

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Certe mirati estis legentes paginam 37 libelli 2/2005 Rumoris Varii. Ibi enim animadvertistis nationum Europae sententias et proverbia, quae in pagina 36 iam legeratis, iterum apparere, falsis scilicet nationum vexillis pictis in margine ornata. Quae res accidit errore hominum typographi. In pagina 70 huius libelli nunc rectas sententias ad vexilla aptas legere poteritis.

Speramus diabolum errorum typographicorum temporibus futuris quam rarissime nos visitaturum esse. Ut numquam veniat, fieri non posse videtur: Errare humanum est.

Praeterea, quod ad diabolum pertinet: Novistisne hoc facete dictum? Diabolus et Sanctus Petrus certamen pedifollis inter caelum et inferos committere in animo habent. Cum ante lusum disputant, Petrus dicit: "Sine ullo dubio vincemus, nam omnes lusores boni apud nos in caelo sunt." Tum diabolus: "Id vobis nullo modo proderit: Nos enim omnes arbitros habemus."

Certe nonnumquam boni quoque arbitri sunt, velut ille celeberrimus Italus calvus nomine Pierluigi Collina, qui summa auctoritate et magna severitate ludos regens in sibilio utendo rarissime errorem committit.

Sed satis de diabolo et de pedifollio – certatio mundana anno proximo demum in Germania edetur. Loquamur ergo de aliis ad tempus anni aptis.



Aestate iucundum est in patria mea, Berna urbe, versari. Sub vesperum, cum maximus aestus remiserit, placet praeter Aruram flumen vel per vias et vicus urbis ambulare, in cauponis areae Ursorum (Bärenplatz) vel Horrei Frumentarii (Kornhausplatz) vel Orphanotrophei (Waisenhausplatz) sedere, de rebus humanis vel divinis vel de mundo omnino cogitare, somnare, cum amicis convenire vel populos praetereuntes contueri.

Anno praeterito area ante curiam confoede-






rationis Helveticae sita, qua foedus locus stativus antea fuerat, autocinetis purgata est. Nunc magna area lapidibus sectis planis ex saxis e pago Helvetico Grisonum arcessitis tecta patet. In quadam parte areae autem ex 26 spargibulis subterraneis scautirigines aquae varia altitudine et variis modis prosiliunt. Quibus aquis multi homines, imprimis parvae puellae et pueri valde gaudent, qui per scaturigines saltantes et currentes brevi tempore omnino madent.

Placet exempli gratia in vico Mercedis (Kramgasse) urbis veteris sub divo in caupona, quae proxima domui, quam Albertus Einstein, ille clarissimus physicus, habitabat, sita est, sedere et nocte aestiva frui, dum puella ministrans, studiosa perpulchra, cerevisiam, vinum aliaque apportat. Prope in vico Curiae (Rathausgasse) tabernae, cauponae,



meretrices inveniuntur. Lucunda quoque mihi videtur alia caupona ad vicum Novum (Neuengasse) sita, cuius in aula interna aedificiis circumdata hortus amoenus est floribus et fonticulis, quorum aquae dulciter murmurant, ornatus. Nocte pulchrae lanternae lumen effundunt.



In hoc loco vere amoeno cibus vel potionibus, quos puellae ministrantes amabilissimae formosaeque praebent, frui potes.

Gaudeatis igitur, cari legentes, aestatis amoenitate et, quaesumus, memores sitis argumenti nostri, de quo in libello 5+6/2005 agetur, et nobis scribatis de mundi religionibus! Nonnullae symbolae iam accepimus, sed plures nobis necessariae erunt, ut RUMOR VARIUS denuo re vera varius sit! Maximas gratias vobis agimus!



Valete !



D. Weissmann

Daniel Weissmann

CANTICA

AB ROD STEWART OLIM CANTATA,
A FRANCISCO SCHLOSSER LATINE REDDITA

I Am Sailing

Navigandum
mi petenti
domum est
Atlanticum,
ut sim tecum,
ut sim liber,
mare altum
turbidum.

Amplexari,
osculari,
mi ocelle,
velim te.

Navigandumst
mi petenti
domum, te,
oceanum,
concupisco
tecum esse,
liber esse,
corculum.

Pervolandum
sicut avi
aer caeli
est mihi,
aer caeli,
ut sim tecum,
ut sim liber,
nubili.

Mene audis,
mene audis,
me clamantem
peregre?





Cur narrent nautae fabulas

«Scribitur ad narrandum, non ad probandum», Quintilianus inquit. Non solum homines in primis aetatibus vana doctrina usi sunt ad ea quae in rerum serie mira videbantur, sed etiam rebus fictis ad ea quae ad doctrinam pertinebant explananda. Omnes fabulae quae mutationes narrant illis temporibus

pro physica fuerunt. «Nunquam equidem oblitus sum», Fontanelle ait, «mihi puero narratum esse sambuco quondam fuisse uvae tam iucundas quam viti; sed illi arbori, cum proditor Iuda ex ea se suspendisset, poma tam acerba facta esse quam sint etiam nunc.» Quae fabula, etsi videlicet post Christum orta est, *Fontanelle* eiusdem plane generis est atque antiquae mutationes quas Ovidius collegit: unde conspici potest homines semper ad eius modi fabulas esse propensos, quae eos duplici modo delectent cum et mentes acriter pellant mirandis quibusdam facinoribus et cognoscendi cupiditatem explere possint cum rerum naturalium ac notissimarum rationem veri similem adferant.



Sunt etiam, qui phantastica non credant, et quorum causam nesciant, materiam non mirentur. Itaque Plinius Caninio scripsit: «incidi in materiam veram, sed simillimam fictae dignamque [...] poetico ingenio. Magna auctoris fides; tametsi quid poetae cum fide? Is tamen auctor, cui bene vel historiam scripturus credidisses». Refert de puero quodam. Qui natandi certamine audentior ceteris in ulteriora tendebat.

Delphinus occurrit et praecedere, sequi, circumire, subire, deponere puerum; die altero, tertio, pluribus, delphinus rursus ad puerum natantem. Serpit fama. Confluunt omnes ad spectaculum et locus ipse quietem suam perdit. Et Plinius concludere: «Quamquam non est opus ad fingas aliquid aut adstruas; sufficit ne ea quae sunt vera minuantur.»



De piscatorum Euboicorum communione praedae cum delphinis retulit Graece Claudius Aelianus. Euboicorum hominum sermone huc narratio



quaedam perlata est: illorum piscatores pariter aequaliterque cum delphinis pisces quos ceperint communicare. Audio, ad huiusmodi piscatum tempestatum quiete opus esse: id quod si acciderit, tum de prora laternas quasdam piscatores suspendunt,

quae etsi intra se ignem habeant, sic tamen lucem transmittunt, ut ignis quidem obtegatur, lumen vero transluceat. Pisces splendorem timent, ac lucem velut reverentes suspiciunt. Quare insidiarum ignoratione obstupescentes, quid sibi velit quod vident cognituri, ut causam tanti sui timoris intelligant, appropinquare aggrediuntur. Deinde perterriti, aut ad saxum aliquod manent frequentes cum tremore et metu, aut ad litus impulsus exiliunt: sic obstupescunt, ut de caelo tacti esse videantur, facileque iam sit tridente percutere. Delphini cum ignem a piscatoribus incendi animadvertunt, seipsos statim ad subsidium iis ferendum comparant. Et illi quidem sensim ac pedetemptim remigant: ii vero formidine exteriores impellunt pisces, eorumque effugia reprimunt, ne quam elabi



queant. Ex delphinorum igitur natatu, et piscatorum remigatione undique in angustias compulsi, quod sentiunt sibi nullum ex tantis angustiis exitum patere, idcirco stant et manent: unde efficitur, ut

eorum magnus numerus capiatur. At tum delphini velut repentes communis laboris remunerationem, sibi debitam ex illa piscatione, procedunt. Quibus praedae auxiliatoribus bona fide et grato animo piscatores parte ad eos pertinente cedunt. Sic enim persuasum his habetur, qui in re maritima versantur, rursus ad piscandum, etiam si minus invitentur, adiutores fore: sin autem piscatores praedam cum his communicare omiserint, hostes futuros, quos ante amicos habuerant.



Ad referendam gratiam delphini hominibus iustiores sunt, cum tamen lege Persarum (quam laudibus tollit Xenophon) minime teneantur. Coeranus sic nuncupatus, natione Parus, a piscatoribus delphinos ad Byzantium captos argento redemit, et liberos dimisit: ex ea libertatis largitione hanc collegit gratiam, ut nave actuaria quinquaginta remorum (sicut in sermonem hominum venit) Milesiis vectoribus plena, in qua et

ipse vehebatur, in freto Parii maris funditus eversa, et vectoribus naufragio perditis, illum ipsum delphini ex hoc periculo servarint, eique ad parem gratiam cum beneficio quod priores ab ipso accepissent, persolvendam satisfecerint: quod quidem ipsum, promontorium nomine Coeranum, quo ipsum exposuerunt, ubi et spelunca in saxo visitur, facile ostendit. Itaque postea Coeranum mortuum secundum mare illud cognatione ei proximi sepultura affecerunt: quod quidem ipsum, ut delphini senserunt, frequentes tanquam ad iusta funeri persolvenda ad litus convenerunt: et quoad pyra arderet, tamdiu sicut amicis fidi amici permanserunt: deinde restincto rogo discesserunt. Non item certe homines, sed potius vivos colunt, et eos quidem divitiis diffluentes et opibus. Contra vero ab iis defunctis, vel aliquo infortunio pressis, se totos avertunt, ut ne gratiam pro beneficiis, quibus ad eis dum viverent, affecti fuerunt, persolvant.



Mirabilia vel phantastica pro certo habent nautae. Tum saeculo XII^o vir quidam scribendi peritus: quisquis marini fluctus investigator extitit, aut ipsius maris explorator, audiat et constanter affirmet, nullam in nostra habitatione terrena repertam cuiusvis animantis effigiem, cuius similitudinem non liceat in piscibus Oceani Britannici ab umbilico superioris speculari. Illic piscis monachus ad medium ventrem squama monachali piscem tegit. Illic Rex piscis est coronatus, illic miles armatus equitat, illic canis, rictum oris aperiens, illic porcus, quem delphinum nominant, quem de genere militum esse vulgus autumat, Porcina inter fluctus maris transsumpta, latentem effigie.

Narrant enim nautae, in mari mediterraneo, quod nostrum dicimus, aliquo die nave pelagum sulcante, delphinos innumeros navem circumire, eumque ex iuvenili agilitate quidam ex nautis delphinum telo vulnerasset: aliis delphinis maris fundum petentibus, de subito inaudita tempestas navem involvit.

Nautis iam de vita desperantibus, ecce quidam ad formam equitis equo super mare advehitur et pro liberatione omnium vulneratorem delphini

sibi expostulat exponi. Inter pressuras nautae positi periclitari timent, et socium exponere morti crudelissimum putant: suae quippe saluti consulere cum alienae vitae dispendio infame faciunt. Tandem vulnerator ipse, dum mavult omnes unius poena liberari, cum sint innocentes, quam propter suam levitatem tantum populum periculum pati, ne ex ipsius tuitione efficiantur nocentes, exponit se morti, quam meruit, et libens ex invita electionis voluntate ascendit militis equum ex posteriore dorsi parte.

Abiit sic miles, super aquam firmam egrediendi semitam eligens, sicut in fixo solo gressus firmarentur. In longinquam in brevi transcurso regionem adventus, in lecto pretiosi apparatus militem reperit, quem, ut delphinum, pridem vulneraverat, et dum a ductore suo telum vulnere infixum iubetur extrahere, mandatis parens, vulneris auxilium dextra nociva tulit. Eo facto, reducitur nauta celeri cursu ad navem, redditusque sociis, rerum gestarum seriem pandit, et per ipsius factum morti addicti, ex contrario facto eius liberantur.



Hinc est, quod exinde nautae delphinos persequi cessant. Sunt enim venturae tempestatis indices, et indignum esset eis poenam infligere, per quos imminentis habetur periculi cautela.



Sic ciconias asserunt in remotis orbis partibus homines esse, et apud nos avium specie vivere, de quibus mirandum iudico, quod in hieme fluminibus se immergunt, in quorum fundo nonnunquam a piscatoribus dormientes extrahuntur: nosque taliter e gurgite tractas vidimus ad ignem calefieri, velut a gravi sumno expergefactas et vitae reddi, cum antea more lapidum insensibilium viserentur. Sic et hirundines quercubus infixae concavis dormiendo hiemem transigunt.



Rettulit Stella Gitta

Proverbia Hispanica

El corazón nunca se engaña.

Cor numquam fallitur.

*

Candil sin mecha ¿qué aprovecha?

Lucerna sine ellychnio - quid prodest?

*

En la necesidad se prueban los amigos.

Amici in necessitate probantur.

*

Como come el mulo, caga el culo..

Ut edit mulus, sic cacat culus.

*

En trece y martes ni te cases ni te embarques.

Die Martis et tertia decima mensis ne uxorem ducas neve navem intres.

*

El que puede y no quiere, cuando él querrá no podrá.

Ille, qui agere potest et non vult, non poterit, cum volet.

*

Los muertos abren los ojos a los vivos.

Aperiunt mortui vivorum oculos.

No puede ser más negro el cuervo que sus alas.

Corvus non potest nigrior esse quam suae alae.

*



Cada cuba huele al vino que tiene.

Omne dolium id vinum, quod recondit, redolet.

*

Burlando se dicen verdades.

Ridendo vera dicuntur.

*

Quien quiera peces, que se moje el culo.

Ille, qui pisces cupit, culum madefaciat.

*

No hay mal que por bien no venga.

Non sunt mala, quae ad bona non conferunt.

*

No dejes para mañana lo que puedas hacer hoy.

Noli differre in crastinum, quae hodie conficere potes.

*

Comer bien y cagar fuerte, y no haber miedo a la muerte.

Edere bene et fortiter cacare neque timere mortem.

Lo que no mata, engorda.

Ea, quae non interficiunt, corroborant.

*

Vuelve la hoja y hallarás otra.

Verte folium et aliud invenies.

*

Bien vengas, mal, si vienes solo.

Advenias bene, malum, si solum venis.

In Latinum vertit Daniel Weissmann





Adoniorum tetrasticha

Opinionum pravitates

Pessima quaeque
plebs hodierna
quaerit et optat,
recta recusat.



Homo homini lupus

Esse sereni
iam prohibemur:
bella oriuntur
undique saeva.



Protrepticum

Perge Latinam
discere linguam:
profuit olim,
nunc quoque prodest.



Praeconium alterum

Si studiorum
vis rationem
haud morituram,
disce Latine.



Orestes Carbonero



Iter per Helvetiam (I)

A cura Principis Württembergicae vacuum tempus ad lustrandum Helvetiae, in quam iam antea solus Casimirus Christophorus Schmidel iter fecerat, et Galliae, non solum urbes et civitates, atque quae in his memorabilia occurrunt, sed etiam, et potissimum, campos, valles, montes, alpes, torrentes, fluvios, lacus, immo et oras maritimas, quo ferebatur, impendit, lapides, petrefacta, zoophyta, conchyilia, corallia, imprimis autem plantas, collegit, comparavit, atque observata omnia in adversaria retulit; unde postea, plus otii nactus, quae notabilia ipsi videbantur, deprompsit et libro complexus est; eo quidem consilio, quod et ipse indicavit, ut et, quae vidisset, menti imprimeret altius, et aliis prodesset, et ostenderet, se non inutiliter otium consumpsisse. Recensuit itaque potiora corpora naturalia, in quaque regione sibi obvia facta, et quidem suo more, nominibus trivialibus tam antiquioribus, qualibus etiam Hallerus uti amabat, quam recentioribus Linneanis; additis observationibus de notis characteristicis, locis natalibus, dotibus aliisque quae scire e re lectoris esse viderentur. Interdum, sed rarius, et moderate, a Linneo aliisque viris clarissimis se dissentire declaravit; et inter hos etiam a celeberrimo Abbate a Wvlfen, qui binas Saxifragas, quas noster in op. Gesn. fasc. I, Hallerum sequutus, coniunxerat, muscoiden scilicet et moschatam, separandas esse demonstraverat; in viri reverendi sententiam procul dubio transiturus, si magis ad differentiam odoris, quem moschata perquam fragrantem diuque inhaerentem spargit, muscoides nullum, attendisset. Praecipue in colligendis, conferendis et adnotandis plantis marinis multus fuit; et forte plerarumque, immo et aliarum plantarum rariorum, descriptiones addidisset atque icones, nisi gravis et longus morbus, quo tandem extinctus est, ipsum impedivisset.



De hoc incepto Schmidelius ipse: «Cum integros octo, et quod excurrit, menses abfuerim ab officiis, aequum omnino est, ut vitae peractae rationem reddam, et demonstrem, me neque penitus otiosum fuisse, neque voluntatem deposuisse, aut animum ipsum meum excolendi, aut

aliqua forte ad artis, quam colo, augmentum, ubi modo potero, confendi. Ad normam igitur dierum breviter recensebo, quae vidi notabiliora, et per quae profeci. Is quidem labor mihi profuturus erit, ut fortius haereant ea, quae sese mihi obtulerunt, et aliis forte ansam praebebit, ut ea perficiant, ad quae penitus dilucidanda aut vires aut temporis rationes mihi non suffecerunt. Dummodo reperero, me ita laborem perfecisse neque penitus ingratum, neque ex omni parte inutilem, alio tempore similes itinerum recensiones, quae per Helvetiam, Belgium et magnam Germaniae partem, perpetravi, successive prodire sinam, praesertim iter Helveticum, quo, dum Erlanga proficiscere, per Sueviam, Scaphusiam et Tigurum pedem promovi, ex inde per montem Albium Tugium et Lucernam versus ad montem Pilatum, et ex hoc per Alpnach et pagum subsilvanum in Clastrum Bruning, et abhinc per Hasliam vallem contra Arolae decursum, in valle serissima, ad eius origines montesque glaciales, et dein per Grimsulam in Valesiam, usque versus Sedunum, et ab hac per Furcam et Gotthardum ad claustra Uriorum penetravi, ex quibus per Altorfium Tigurum redii, spoliis tam herbariis quam aliis, quae Naturae scrutinium subministrare solet, onustus.

Vicesimus quartus erat dies Maii mensis anni MDCCLXXIII, quo iubente Serenissimo Principe nostro iter ingressus sum ad tuendam sanitatem Serenissimae Principis Würtembergicae electus, Onoldo profectus per pascua amni Altimonae contermina, quae in scrobibus inter alia multa *Cyperum inodorum germanicum* gerunt, sera vespera *Ottingam* attingimus. Pancratice ibi in aula Principis, comitate praecellentis, excepti, ego potissimum laetatus sum colloquio generos. *de Troeltsch*, Auditoris olim, nunc amici, Consulis urbis Imperialis Noerdlingensis.

d. 25. ei. multo mane pergentes subsistimus versus meridiem Donawerda, celebri cum confinibus Schellenbergo rel. Clade Gallorum. Vesperi Ulmam accedimus, templo cathedrali superbientem, in cuius confinibus olim legeram *Gentianam bavaricam*.



d. 26. ei. mane egressi Ehingam versus tendentes agros humiliores et prata peragramus, Danubium ad sinistram habentes, et plures vidimus cespitis bituminosi divitesque fodinas, manifesto indicio, ibi paludem olim fuisse. In editioribus adiacentibus olim legi margam calcaream induratam, in qua copiosae cochleae minores iacent, partim testa adhuc munitae, partim sub nucleorum forma adparentes. Sensim ipsi in altius evehimur, et quasi basin montium Helvetiarum constituentium attingimus. Montes Sueviae, Memmingae et Augustae Vindelicorum, elatiores ad sinistra sunt, et ipsi in altius emergimus. E longinquo conspicitur mons Zimberspiz Helvetiae. Vesperi Meskircham intramus.

d. 27. multo mane profectis versus Stockach. Vesperi accedimus Scaphusiam.



Ad d. 28. Maii extra urbem progressi vidimus primum e longinquo ex Domo Dni. *de Stockar* e regione sita cataractam Rheni celeberrimam. Navem postea conscendimus, alteri sociatam pro maiore securitate,



transversoque itinere cataractam quam proxime accedimus, et adeo cominus casum aquae horridum adpectu contemplamur, ut rore perfunderemur, et in nebulis ex dispersa in auras aqua adscendentibus iridis colores dignoscimus. Aquae ipsius, quam olim videram molae adiacenti imminentem, et ad dextram eius partim delabentem, cursum mutatum nunc reperi, cum aliquot rupes in medio ex imis existentes, impetu aquarum partim absumptae, partim ita ad basin excavatae sint, ut ruinam minentur, quae ipsis non deerit futuris temporibus. Redeuntes in urbem contemplamur pretiosam collectionem picturarum, quas Ammannus, Mercator celebris et frater amici mei possidet, Ehingeri, Ermelii et Wouwermani, campos exprimentes, et praesertim magnum iconismum pictoris celeberrimi van Loo, Salvatoris nostri divini descensum ex cruce mira arte exprimentem, pluresque alias miramur, elegantem quoque papilionum, praesertim Surinamensium, aliorumque insectorum collectionem. Fratris Ammanni, Professoris celeberrimi, amici a pluribus annis aestimatissimi hortum intro. Aedes dein eius adeo, in quibus Professor humanissime monstra-

vit Thesauros rerum naturalium. Exivimus postmodum in pontem subli-
cium, trans Rhenum aditum praebentem, eius structuram et infra
perquam artificiosam miramur, cum in medio super magnam molem
lapideam tota machina cohaerent.



Ad d. 29. ei. Scaphusiam relinquimus et Zurzachium
versus tendimus, per vias montosas ad dextram
Rheni ripam adscendentes, inter vineas et amoenos
montes. Viae stratae sunt saxis variae magnitudinis et
variorum colorum, absque dubio ex volutione in

aquis in rotundam compressamque plerumque formam redacta, partim
huc aliunde forte translata, partim, ut videtur, sub ipsa humo adiacente
secundum strata ibidem locata, quae mox horizontem sequuntur situ,
mox magis minusve oblique deflectunt, mox ab utroque latere in pyra-
mides coeunt, interdum terrae commixta absque ordine locantur, inter-
dum stratis argillae versicoloribus undoso ductu magis minusve copiose
impactis. Non raro maiora minoribus per strata incubuerunt, a terrae
superficie computo facto. Haec ita durant, donec descendendo Rheni
ripas rursus attingimus, quem nave traicimus, et rursus ex altero latere
adscendentes Zurzachium intramus, oppidum nundinis celebre, quae
tunc ipsae frequentabantur. Prandio sumpto eximus, et sensim ad altio-
ra, utrimque argillam aut rubescentem aut gryseam ad viam monstnan-
tia, quin et prope viam aliquando schisto micaceo interpolato constan-
tia, evehimur. Aruram demum traicimus, et oppidulum Bruck, ubi Arura
aquas suas Rheno immittit, attingimus versus noctem, ibique pernoctamus,
bono hospitio gavis.

Postero die multo amne Brucka egressis ad dextram e
longinquo obviae fuere arces vetustae Habsburgum et
Bruneck, olim celeberrimae et domui Austriacae, nunc
Helveticae ditioni adscriptae. Contra Arurae cursum
adscendimus per montosas silvas. Praeterimus absque
mora, quam optassem quidem, balneum celebre Schinznach, cui domus
satis ampla cum ambulacris non inamoenis, adstructa est. Via semper
saxis variorum colorum strata nos ducit per arva. Pergentes in ampla et



plana valle usque ad oppidum Aarburgum, post quod montes altiores
Solithurienses diu e longinquo et ad dextram nobis ob oculos fuerunt.



Pernoctamus vili hospicio in
Mittenthal.»

Excerpta e relatione itineris,
quod annis 1773 et 1774

per Helvetiae partem fecit C. C. Schmidelius,
vobis proposuit Stella Gitta



SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis (omnino VI fuerunt) sortes coniecimus.
Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

| | | |
|-------------------------|---------------------------|--------------------------|
| <u>primum praemium:</u> | <u>secundum praemium:</u> | <u>tertium praemium:</u> |
| Sabrina Stettler | Max. S. Müller-de-Vries | Roman Bühlmann |
| Bodelenweg 71 | Chapfstr. 394 | Wangenhübelstr. 30 |
| 3172 Niederwangen | 8214 Gächlingen | 3173 Oberwangen |

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia
eis mox mittentur!

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| C | O | R | I | N | N | A |
| O | L | E | N | I | U | M |
| R | E | D | U | N | D | A |
| I | N | U | N | G | A | S |
| N | I | N | G | U | N | T |
| N | U | D | A | N | T | I |
| A | M | A | S | T | I | S |

Rumoris Varii domus editoria



Propositiones Alcuini solutae

Solutio de viro ambulante in via.

Qui imprimis ab illo visi sunt, fuerunt XXXVI. Alii tantum LXXII. Medietas
medietatis XVIII. Et huius numeri medietas sunt VIII. Dic ergo sic : LXXII
et XVIII fiunt XC. Adde VIII, fiunt XCVIII. Adde loquentem et habebis C..
[1/4 + 2/4 + 8/4 = 11/4; (99*4)/11=36]

Solutio de homine

Ex uno capite campi III. Ex altero III, quae faciunt rigas versuras VI.

Solutio de bove




Nullum omnino vestigium facit bos in ultima riga, eo quod ipse praecedat aratrum, et hunc aratrum sequitur. Quotquot enim hic praecedendo in exulta terra vestigia figit, tot illud subsequens excolendo resolvit. Propterea illius nullum reperitur vestigium in ultima riga.




Quis sum?

Responsum in tabula latet. Ad picturam restituendam nigro colore inficiendae sunt areae vicinae secundum numeros supra (ad perpendicularum) aut sinistra (ad libram) datos. Nota bene: inter areas nigras semper candida/ae est/sunt.

E. g. hoc in tabula ad libram: areae nigrae sunt tres (A). Quae diversimode collocatae esse possunt: una tamen semper nigra est (B ■).



Ad perpendicularum: propterea quod area nigra una est (C), area infra candida manet (D), ergo (E₁ et E₂). Iterum ad perpendicularum: diversimode areae nigrae tres collocatae esse possunt: una tamen semper nigra est (F ■); simili ratione (G)...



1 6 3 3 4 5
3 3

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|-------------|--------|-------------|------------------|-------------|-------------|-------------|-------------|-----------------------|-----------------------|-----------------------|-----------------------|-----------------------|-----------------------|-------------------|-----------------------|-----------------------|-----------------------|------------------|-----------------------|-------------------|---------|---------|-------------|-------------|--------|--|
| | 4 3 | 1 2 3 | 1 4 4 2 | 8 3 4 | 6 2 4 | 5 2 4 | 5 2 3 | 2 4 1 2 1 | 1 4 2 4 2 | 2 4 4 1 4 | 3 1 5 4 3 | 1 1 1 1 3 | 4 2 1 1 2 | 4 1 10 1 | 1 1 9 2 6 | 2 8 1 1 7 | 5 2 8 1 8 | 6 8 1 8 | 6 2 7 2 8 | 11 4 4 9 | 6 20 | 4 20 | 5 9 9 | 6 6 9 | 7 9 | |
| 9 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 12 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 14 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 16 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2,10 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 1,4,3 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2,1,1,2 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2,3,3,1,2 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 1,1,3,2,1,1 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 1,1,1,2,1,1 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 1,1,1,1,1,1 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 5,4,1,1 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 5,1,4,1 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 5,1,1 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 18 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 19 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 19 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 17 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 8,4 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 8,4 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 10,4 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 9,5 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 9,7 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2,5,2,6 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2,2,1,4 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2,1,2 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 1,1,1,6 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2,1,9 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 1,1,10 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 1,1,11 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 1,2,11 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 1,5,1,12 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2,4,4,11 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 7,5,11 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 5,5,11 | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |

Nova adoniorum tetrasticha

Taedium vitae

Vita misella
arta videtur
semita spurco
stercore plena.



Nova docendi iudicandique methodus

Nullus alumnus
ferre repulsam
sustinet aequam:
promoveantur!



Inscitia triumphans


Cui schola prodest
tempore nostro?
Vulgus ubique
vincit ineptum.



In deterius ruimus

Aurea quondam
exstitit aetas;
squalida nunc iam
tempora currunt.

Orestes Carbonero



Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM
ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA
IDIBUS OCTOBRIBUS EST! SOLVTIONES IN VNO LIBELLORVM
SEQUENTIVM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
 secundum et tertium praemium LIBELLVS

1. gens Romana vel nomen mulierum
2. plenus hilaritatis vel gaudens
3. aere ornatas
4. adhibeatis
5. casus Latinus (Abl. pl.)
6. vacuet
7. accedo vel adiuvo

| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | | | | | | |
| 3 | | | | | | |
| 4 | | | | | | |
| 5 | | | | | | |
| 6 | | | | | | |
| 7 | | | | | | |

Daniel Weissmann

Nationum Europae sententiae et proverbialia

Liberi magis spectant, quae parentes faciunt, quam, quae dicunt.



Germania

*




Britannia

Ille, qui me amat, canem quoque meum amat.

*

Non potes eligere tempus, quo amabis.



Norvegia

*



Nederlandia

Deus unus, mulier una, sed multi amici.

*

Amor vetus et lignum non omnino extinctum omni tempore iterum exardescunt.



Francogallia



Russia

Lacrimis inopia non depellitur.

*

Ei, qui legere et scribere scit, quattuor oculi sunt.



Albania

*



Francogallia

Amoris facula in culina accenditur.

Latine tradidit Daniel Weissmann

PROPOSITIO ALCVINI:

DE DUOBUS HOMINIBUS SORORES ACCIPIENTIBUS

Si duo homines ad invicem, alter alterius sororem in coniugium sumpserit, dic, rogo, qua propinquitate filii eorum pertineant.

Subnoto RV, ut ipse accipiam
(Ich abonniere RV für mich selber)

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RV als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS
C/o EDITIONS ECLECTICA
Estelle GITTA
Ch. F.-Lehmann 2
1218 Grand-Saconnex

PP/Journal
1218 Le Grand-Saconnex



3/2005


IDIBVS IVLIIS

MMV

Hic solutionem inscribe et chartam mitte !

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 |
| 2 | | | | | | |
| 3 | | | | | | |
| 4 | | | | | | |
| 5 | | | | | | |
| 6 | | | | | | |
| 7 | | | | | | |

Nomen emittentis et inscriptio cursualis:



TOMVS 27

FASC. 154